



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXIV. Soluuntur obiectiones Lutheri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

His accedit QVARTO & vltimò, totius Ecclesiæ cõsuetudo. Nam, vt Innocentius scribit in epist. 22. cap. 1. in toto Oriente & Occidẽte hoc seruabatur, quod etiam nunc seruari videmus, vt bigami non ordinentur. Neq; solùm vbique, sed etiam semper hoc seruatum esse, planum esse potest ex Leone epist. 88. ad Afros, vbi dicit, semper hoc esse seruatum; nec non ex eo, quòd huius rei mentio fit in Canonibus Apostolorum, can. 17. & 18. & in antiquissimis Conciliis, vt Neocæsariensi, can. 8. & in Nicæno I. teste Ambrosio in epist. 82. Deinceps etiam semper esse seruatum, patet ex decreto Gratiani, dist. 26. & ex decretalium volumine, tit. de digamis, vbi multa ponuntur testimonia Pontificum, & Patrum diuersorum ætatum; quod autem semper & vbique seruatum est, sine dubitatione vlla ab Apostolica traditione descendit.

## CAPVT XXIV.

*Soluuntur obiectiones Lutheri.*

**S**ED IAM ad argumenta LVTHERI respondemus. PRIMA OBIECTIO; Apostolus iubet Episcopum eligi irreprehensibilem, siue, vt Titum loquitur, sine crimine, quod est Græcè ἀνεγκλητῶ. Is autẽ est eiusmodi, qui non potest palam argui alicuius criminis. Explicat verò statim Apostolus, quæ sint crimina, quib. carere debet Episcopus, & ait: *Vnius viri, filios habens fideles.* igitur vnus vxoris vir, nõ significat monogamiã, quæ opponitur poligamiã pluriũ vxorum successiuè, quæ nunquam fuit crimen, sed eam, quæ opponitur fornicationi & adulterio, quæ vera sunt crimina.

RESPONDEO, potest hoc loco nomine criminis non solum peccatum intelligi, sed quidquid ab hominibus reprehendi solet; neque enim sola peccata reprehenduntur, sed etiam ea, quæ signum præbent incontinentiæ, aut alterius vitij; talem autem esse quamlibet bigamiam certissimum est. Nam idcirco in Concilio Neocæsariensi can. 7. prohibentur Sacerdotes interesse nuptiis digamorum, & etiã apud Gentiles bigami Pontifices esse non poterant, vt Tertullianus refert lib. 1. ad vxorem, & Seruius in illud 4. Æneidos.

Huic

*Huic vni forsā potui succumbere culpa.*

*Culpa, inquit, propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio bis nupta.*

Apostolus igitur vult, Episcopum nullius rei, quæ malam speciem præ se ferat, apud homines posse notari, & ideo monogamum esse iubet. Ita hunc locum Chrysostomus exponit; possumus tamen nomine criminis intelligere etiam peccatum graue ac letale, vt vult S. Augustinus tract. 41. in Ioan- nem, & lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 14. sed si ita accipiamus nomen criminis, non debemus exponere verba sequentia beati Pauli, quasi iis explicetur quid sit, esse irreprehensibilem, siue sine crimine; sed ita vt eis declaretur, Episcopum non solum sine crimine esse debere, sed etiam multis præclaris dotibus ornatum, vt monogamia, sobrietate, doctrina, &c.

**SECUNDA OBIECTIO;** Si Episcopus monogamus esse deberet, aut ratio huius rei esset moralis, videlicet ob maiorem continentiam, aut certè spiritualis siue mystica, videlicet ob significationem coniugij vnus Christi cum vna Ecclesia; at neutrum dici potest. Nam si ratio esset moralis, multò magis requireretur in Episcopo ne esset adulter, aut concubiniarius, quàm ne esset bigamus, & tamen videmus adulteros, & concubinarios non repelli à sacerdotio, digamos autem repelli; si verò ratio sit mystica, multa sequuntur absurda. Nam in primis ceteræ dotes Episcoporum, quæ à Paulo numerantur, omnes sunt morales, vt sobrietas, hospitalitas, doctrina, & ceteræ. Cur non etiam ista erit moralis; vnus vxoris vir?

**SECUNDO,** si ideo Episcopus debet esse monogamus, quia eius coniugium significat Matrimonium Christi cum Ecclesia, igitur etiam Laici debebunt esse monogami, quia eorum quoque coniugium significat Christi coniugium.

**TERTIO,** si illa est ratio, igitur debet Episcopus ducere virginem, & eam semper virginem cōseruare, ita enim Christus fecit.

**QUARTO,** debet Episcopus priorem vxorem repudiare, & posteriori adhærere. Nam Christus, Synagoga repudiata, adhæsit Ecclesiæ. quocirca Episcopus, vt Christum imitetur, non monogamus, sed bigamus erit.

QUINTO, debet idem Episcopus necessariò uxorem habere, eaq; ne ad punctum quidem temporis carere; Christus enim Ecclesia sponsa sua nunquam caret.

RESPONDEO, rationem, cur Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debeant esse monogami, partim esse moralem, partim mysticam; imersi enim multæ rationes reddi solent Patribus, tamen omnes reuocantur ad duas illas in argumento aduersarij notatas. VNA igitur causa est moralis, videlicet minor suspicio incontinentiæ, siue perfectior continentia. Hanc reddit Tertullianus locis citatis, & Chrysostomus in commentario locorum beati Pauli; atq; ad hanc reuocatur causa, quam reddit Epiphanius hæresi 59. ubi dicit, monogamum esse debere Episcopum ob excellentiam sacerdotij. Ad eandem reuocari potest ea, quam reddit Ambrosius lib. I. de officiis, capite ultimo, ubi dicit, monogamum esse debere Episcopum, vt liberiùs hortari possit homines ad continentiam.

ALTERA causa est mystica, videlicet perfecta significatio coniugij Christi cum Ecclesia; qui enim secundam uxorem duxit, significat quidem cõiugio suo Christi coniugium, sed non ita perfectè, vt is, qui vnã solam habuit, non eum significat, Christum esse vnum vnus Ecclesiæ sponsum.

DICES, peccat igitur, qui secundam uxorem ducit; nam falsum significat, Christum videlicet plurium esse sponsum Ecclesiarum. RESPONDEO, id non sequi; Nam secundæ nuptiæ non sunt institutæ ad significandum, Christum bis maritum esse, ideoque id non significant; quanquam nec significant, cum esse vnum vnus, sed simpliciter significant ipsam coniunctionem, abstrahendo ab vna vel pluribus. Itaque nuptiæ digamorum nihil falsi significant, sed carent quadam perfectione significationis, quam habent nuptiæ monogamorum. Atque hanc causam reddunt S. Augustinus libro de bono coniugali, cap. 18. & sanctus Leo in epist. 88. ad Afros, & huc etiam pertinet ratio illa Epiphaniij de excellentia sacerdotij.

Vt igitur respondeamus ad singulas partes obiectionis. Si ratio, inquit, moralis est, igitur maiori ratione prohibentur adulteria & concubinarus, quàm digamia.

RESPON-

RESPONDEO, prohiberi quidem etiam ista, non enim voluit adulteros, aut concubinos Episcopos eligi, qui iussit eligi homines sine crimine, irreprehensibiles, sobrios, castos, &c. sed tamen negamus magis ista prohiberi, quam digamiam in Episcopo deligendo. Nam ista prohibentur vna solum ratione, & ea non primaria: digamia verò duabus rationibus prohibetur. quod autem primaria ratio non sit illa moralis, ob signum incontinentiæ, sed altera mystica ob significationem, patet ex eo, quod digami censentur etiam illi, qui vnā vxorem habuerunt, sed viduam, vel alio modo corruptam, vt constat ex citatis locis canonum Apostolorum, Concilij Neocæsariensis, Innocentij, Leonis, & aliorum, ac præterea etiam si longè turpior sit concubinatus, quam digamia, tamen digamia ex natura sua signum est incontinentiæ magis diuturnæ, firmissimæque in-hærentis.

Ad PRIMVM alterius partis respondeo, rectè monogamiam numerari cum ceteris moralibus dotibus, tum quia etiam ipsa est moralis dos, tum etiā quia nihil incommodi habet, numerare dotem mysticam cum moralibus, cum omnes Episcopo necessariae sint.

Ad SECUNDVM, negamus id sequi, vt etiam Laici debeant esse monogami. Non enim necesse est, vt Laici ea perfectione sint præditi, qua præditi esse debent Episcopi; quare satis est, si Matrimonium Laicorum significet coniugium Christi cum Ecclesia, licet non significet illud, vt est vnus cum vna, vt supra diximus.

Ad TERTIVM, negamus etiam sequi, vt Episcopus debeat vxorem semper virginem seruasse. Nam Christi sponsa Ecclesia duo priuilegia habet; nam & virgo est, iuxta illud 2. Corint. II. *Desponsi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*; & simul fecundissima est, & plurimos quotidie filios parit per lauacrum regenerationis. Duo autem ista priuilegia simul, nullum coniugium humanum representare potest, illo excepto, quod fuit inter beatā Virginem & sanctum Iosephum. Idcirco satis est, si Episcopi coniugium, alterum eorum significet, nimirum aut fecunditatē Ecclesię, si filios ex vxore habuerit, aut virginitatem, si fortè vxorem virginem conseruauit, vt aliqui sancti viri fecerunt.

Ad **QVARTVM**, negamus Christum repudiasse vnquam sponsam suam, vt acciperet aliam. Nam Christus, vt homo, non accepit vnquam, nisi vnam sponsam, id est, Ecclesiam Christianam, quam ipse ex latere suo perfollo sibi formauit, vt quondam Adam, vnam Euam ex latere suo eductam, vxorem accepit. Idem verò Christus, vt Deus, ab initio mundi Ecclesiam sibi coniunxit in Matrimonium, neque vnquam eam dimisit. Ersi enim videtur Christus repudiasse Synagogam, quia sunt hoc tempore Iudæi sine Deo, & quia beatus Paulus ad Galatas quarto, exponit de Testamento veteri illud Genes. 21. *Esice ancillam & filium eius*. Tamen reuera Ecclesiam Testamenti veteris Christus non repudiavit, sed renouauit, & pulchram reddidit, & ex ancilla liberam fecit, & hoc modo eiecit ancillam, id est, statum illum seruilem, quomodo si aliquis ancillam vxorem acciperet, ac post aliquantum temporis eam liberaret. Quare beatus Paulus ad Roman. 11. *Nunquid, inquit, Deus repulit populum suum Absit. Nam & ego Israëlita sum; non repulit Deus plebem suam, quam præscurit, &c.* Itaque solùm pars quædam obstinatorum Iudæorum recessit ab vnitæ veræ Synagoga; reliqui manserunt, & per eos continuatum est coniugium Christi cum Ecclesia.

Ad **QVINTVM**, negamus, Episcopum semper ac necessaridò vxorem habere debere, immò melius facturum dicimus, si nunquam vxorem duxerit. Nam cùm Christus & virgo & maritus sit, si Episcopus vxorem non habeat, Christum virginem repræsẽtabit, si vxorem habeat, Christi coniugium significabit. Itaque monogamia in Episcopo requiritur, si coniugatus fuerit, non absolutè.

**TERTIA OBJECTIO**, quòd Paulus ait 1. Timoth. 3. Episcopum esse oportere vnus vxoris virũ; simile est ei, quod idem ait 1. Corinth. 7. *Vnusquisq; vxorem suam habeat. at in his posterioribus verbis non prohibentur secundæ nuptiæ, sed adulteria, & scortationes.*

**RESPONDEO**, probandam esse Lutherò propositionem argumenti; non enim sunt omnino similes duæ illæ sententiæ. Nam in priori determinatur numerus coniugij, cùm vnus vxoris mentio fit; in posteriore non determinatur; habebit

bebit enim verè vnusquisq; suam vxorem, si legitimam coniugem habeat, etiam si fortè non sit prima, sed secunda.

Sed instat LVTHERVS, & probat sententias illas esse similes. Nam 1. Tim. 3. Paulus ait: *Diaconi sint Vnius vxoris viri.* vbi illud; *Vnius*, non potest determinare numerum, alioqui sensus esset, vt multi Diaconi vnã vxorem cõmunem haberent. Ponitur igitur illa vox, *Vnius*, pro, *Solius*, vt sensus sit, Diaconi solius vxoris suæ viri sint, non mulierum ceterarum. At indigna est obiectio, cui respondeatur. Quis enim nõ intelligit illud: *Diaconi sint Vnius vxoris viri*, diuisè accipi debere, nõ coniunctè? Iste igitur sensus est; Diaconi, id est, quilibet Diaconus sit vnus vxoris vir.

QUARTA OBIECTIO. Apostolus Paulus 1. Cor. 7. se in numero viduorum ponit, & tamen 1. ad Cor. 9. ait: *An non habemus potestatem sororem vxorem circumducendi, sicut Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Poterat igitur Paulus, licet viduus esset, vxorem ducere; quomodo enim potuisset sororem vxorem circumducere, si non potuisset eam prius ducere?

RESPONDEO, hoc argumentum multis modis peccare. Primùm enim, beatus Paulus non se inter viduos numerat, sed inter eos, qui vxore carebant, siue eam nunquam accepissent, siue iam amisissent: *Innuptis*, inquit, & *viduis dico, quia bonum est, vt si sic permanserint, sicut & ego.* Deinde, non dicit idem Apostolus, habere se potestatem sororem vxorem circumducendi, sed sororem mulierem, vt interpretes omnes tradunt. de qua re superiore quæstione disputauimus.

OBIECTIO QUINTA. Poterat Paulus, si voluisset, apertè dicere, Episcopum debere esse monogamum, ergo cùm nõ dixerit, Episcopum debere esse monogamum, sed vnus vxoris virum, cogere voluit Lectores, vt intelligerent verba sua, nõ de singularitate nuptiarum, quod sonat nomen monogamiæ, sed de singularitate mulieris, quod significat illud: *Vnius vxoris vir.* Non igitur interdicit Episcopo B. Paulus secundas nuptias, sed aliarum mulierum commercium, præter commercium legitimæ vxoris.

RESPONDEO, si ita cauillari liceat, nõquam finiendas quæstiones; dixit Apostolus, quod intelligeretur; non debuit

buit omnes loquendi formas excutere. Adde vocem, Monogamus, apud Græcos non esse in usu, sed à Latinis primum surpari ceptam, et si ex Græcis vocibus compositam. Probat non esse mirum, si Paulus, qui Græcè scripsit, ea non fuerit usus. Adde etiam, hanc ipsam vocem, licet propriè ab vnâ scripturis deductam, tamen vsitatè etiam accipi pro eo, qui habet vnâ vxorem, siue ea prima fuerit, siue secunda; ex quo sequitur, vt idem omnino sit Monogamus, quod vnus vnus vir.

SEXTA OBJECTIO. Ambrosius libro de dignitate sacerdotali, capite 4. illa verba; Vnius vxoris vir, exposuit de coniugio spiritali Episcopi cum Ecclesia, atque ait, Apostolum id iubere, vt Episcopus vnâ Ecclesiam regat, non multas. Non igitur, si Ambrosio credimus, interdicitur Sacerdotibus digamia.

Hieronymus quoque in epistola ad Oceanum, dicit acerrimè Carterium Hispanum Episcopum, qui duas vxores habuerat, & ad legem Apostoli, in quam peccasse Episcopus ille accusabatur; respondet, posse illud; Vnius vxoris vir, multis modis intelligi. Nam primum hic potest esse sensus; Sit Episcopus vnus vxoris vir, id est, vnâ habeat vxorem tempore, & licet ea mortua, alteram ducat, nunquam tamen simul habeat duas. Deinde etiam, nomine vxoris accipitur potest Ecclesia, vt ille sit vnus vxoris vir, qui vni præpositus Ecclesiæ est. Et rursus, nomine vxoris, mulier potest accipi, vt idem sit vnus vxoris vir, quod vnus mulieris vir, vt non tam secundæ nuptiæ, quàm multarum simul mulierum commercium prohibeatur.

Addere possumus testimoniû S. Augustini libro de bono coniugali, cap. 18. vbi opponit Sacerdotem Testamenti veteris, qui multas vxores habere poterat, Sacerdoti Testamenti noui, qui vnâ solùm habere potest. At ille multas simul habere poterat, igitur iste plures vno tempore habere prohibetur, non autem vnâ post alteram.

Ad AMBROSII testimoniû facilè erit respondere, siquidem ipse in illo ipso loco, qui nobis obiicitur, scribit, ad licentiam prohiberi digamiam vxorum Sacerdotibus. Mysticè autem potest etiam exponi de digamia Ecclesiarum; quocirca idem Ambrosius in ep. 82. & li. 1. de officiis, cap. vlt. & in commenta-



mētariis in Paulum, non meminit huius mysticę expositionis, sed exponit simpliciter de vera monogamia.

Ad HIERONYMI verò, vt respondeamus, obseruandum est, controuersiam fuisse inter veteres Patres; An qui vnam vxorem habuit ante Baptismum, eaque mortua, alteram duxit post Baptismum, bigamus censendus esset, nec ne? Nam sanctus Hieronymus in epistola ad Oceanum contendit, eiusmodi hominem non esse bigamum, propterea quod per Baptismum sit factus nouus homo ex veteri, & nihil ei nocere possit eorum, quę fecit ante Baptismum. Et sanè huic sententię multum fauet canon. 17. Apostolorum, qui disertè prohibet Episcopum fieri, qui post Baptismum bis nuptias celebravit.

Contra verò, Ambrosius, Innocentius, & Augustinus locis citatis contendunt, omnino habendum bigamum, qui duas vxores habuit, siue ante Baptismum, siue post Baptismum. Nam Baptisma diluit peccata, non soluit coningia; & renouat hominem, quantum ad vetustatem vitiorum, nõ quantum ad ea, quę rectè se habent. Atque hæc sententia tandem præualuit, & ab vniuersa Ecclesia recepta est. Neq; obstat canon Apostolicus; forrasse enim eo tempore propter hominum paucitatem dispensabant Apostoli cum illis, qui ante Baptismum vxorem vnam, vel plures habuerant, modò non habuissent plures post Baptismum. Neq; enim est hoc præceptum Apostoli omnino indispensabile. Hieronymus igitur non defendit Episcopum polygamum, nec docet, à beato Paulo permissam polygamiam Sacerdotibus, sed solùm contendit, eum, qui vnam tantùm vxorem habuit, post Baptismum non esse polygamum, licet habuerit alteram ante Baptismum.

Et quamuis idem HIERONYMVS tres illas expositiones loci Paulini adducat, quę in obiectione propositę sunt, non tamen eas approbat, vt veras & germanas. Nam PRIMAM illam de polygamia plurium vxorum simul, dicit se adducere, vt malo cuneo malum nodum, scindat. ALTERAM de polygamia Ecclesiarum, dicit esse coactam, & duram expositionem: *Quidam, inquit, coacte interpretantur vxores pro Ecclesiis, viros pro Episcopis.* Deniq; TERTIAM illam de viro vnius mulieris, & simul duas superiores, reiiicit apertissimè,

mè, cum sic ait: *Hæc vniuersa proferimus, nõ quo vera & simplici intelligentia resistamus, sed vt doceamus te Scripturas sanctas sic intelligere, vt scripta sunt, nec enacuare Baptismi Saluatoris, & totum patibuli Sacramentum irritum facere.* Hæc ille. Vbi tres illas expositiones vni simplici & veræ proponit; quam autem vocet simplicem & veram, intelligit per test ex commentario eius ad caput primum epistolæ ad Titum, vbi simpliciter exponit, vnus vxoris virum esse eum, post obitum primæ vxoris, secundam non duxit.

Ad locum AVGVSTINI respondeo, antithesim sacerdotum Testamenti veteris, & noui, in eo solum positam esse, quòd illi habuerunt plures vxores, isti vnã; nõ autem eo, quòd illi habuerunt plures simul, isti non plures simul, id quod ex duobus colligi potest; nam Augustinus dicit, ideo Sacerdotes noui Testamenti non posse habere plures vxores, quia significant Christi coniugium cum vna Ecclesia; at Ecclesia vna est omnino, non vna post alteram. Deinde idem Augustinus ibidem dicit, non esse peccatum habere nunc duas vxores, sed tamen esse impedimentum ordinationis. At habere duas simul tempore noui Testamenti, peccatum esse, idem Augustinus docet libro de bono coniugali, cap. 7. Igitur cum dicit, Sacerdotem Testamenti noui non posse habere, nisi vnã vxorem, intelligit, nec plures, nec successinè.

SEPTIMA OBJECTION nostra est, vt res melius intelligatur, si bigamia prohibita esset Sacerdotibus ob defectum legitimisationis, certè bigamus esset, qui plures vxores legitimè habuisset, licet cum vna tantum Matrimonium cõsummasset; nam Matrimonium integrum est & perfectum etiam sine copula coniugali. At contrarium definit ius canonicum cap. Debitum, de bigamis.

Ad hæc, illa sola bigamia prohibita esset, quæ ex duobus veris Matrimoniis constaret, at non ita est; nam cap. Nuper, de bigamis, censentur bigami etiam illi, qui vnã vxorem legitimè duxerunt, & alteram non legitimè, cum tamen posterius non fuerit verum Matrimonium: immò etiam qui post votum solenne vnã vxorem ducunt, bigami censentur, & illi quoque, qui fornicariam ducunt, licet vnã; vbi nullo modo fingere licet duo Matrimonia, nisi quis fornicationem

tionem Matrimonium appellet. & confirmatur; Nam si vir fornicarius ducat uxorem virginem, non est bigamus; si verò vir castus ducat fornicariam, bigamus est: Non igitur fundamentum bigamiæ est defectus significationis; nam in hoc paria sunt illa coniugia, in quibus aut vir, aut mulier fornicationem admisit.

**RESPONDEO**, tres sunt species bigamiæ, vt interpretes iuris Canonici rectè docent in titulum de digamis. **PRIMA** species est digamia vera & propria, ea videlicet, quæ ex duobus veris Matrimoniis oritur. Contingit autem tribus modis hæc digamia. **PRIMO**, ex parte viri tantùm, cùm vir habuit duas veras uxores. **SECUNDO**, ex parte uxoris tantùm, cùm vxor habuit duos veros maritos. **TERTIO**, ex parte vtriusque, cùm viduus viduam ducit; & de hac specie nulla dubitatio est. Constat enim, semper in ea defectum significationis adesse, cùm aut vir non sit vnus vnus, aut vxor non sit vna vnus.

**SECUNDA** species est digamia interpretatiua, id est, quæ verè ex natura rei non est digamia, sed iuris interpretatione habetur ac reputatur digamia. Contingit autem hæc digamia quotiescunque aliquis ducit secundam uxorem, aut vxor secundum virum de facto, non de iure, siue primum cõiugium de iure, siue tantùm de facto fuerit, vt patet ex titulo de digamis; licet enim hic non sit verè defectus significationis, tamen Ecclesia extendit pœnam bigamorum etiam ad istos. & fortè S. Paulus, cùm ait: *Episcopi sint vnius uxoris viri*, intelligi voluit id de iure, vel de facto, ita vt interdixerit, ne quis ordinetur, qui fuerit plurium vxorum vir, siue de iure, siue de facto.

**TERTIA** species est digamia metaphorica, id est, quæ confurgit ex duplici coniugio, quorum alterum non verum, sed metaphoricum fuerit; sic enim Ancyranum Concilium can. 19. inter diganos haberi iubet eos, qui post votum continentia ad Matrimonium transferunt, siquidem votum continentia genus est Matrimonij animæ cum Deo, licet metaphoricum. Porro isti prohibentur ordinari, non quòd verè bigami sint, sed quia Ecclesia pœnam bigamorum ad eos extendere voluit.

Ex his ad **PRIMUM** respondeo, bigamiam non oriri, nisi

ex

ex Matrimonio consummato. Nam, ut rectè dicit Innocentius Papa cap. Debitum, de digamis, Matrimonium ratum sed non consummatum significat coniunctionem Dei cum anima per gratiam; Matrimonium autem consummatum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per naturam conformitatem. Nam Apostolus ad Ephes. 5. tum dixit:  *sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia, cum paulò antè dixisset: Erunt duo in carne & una.* Bigamia verò nascitur ex defectu significationis cōiugij Christi cum Ecclesia, non Dei cum anima.

Ad id verò, quod obiiciebatur de bigamia eorum, quibus fuerunt plures vxores de facto, non de iure, iam responsum est in explicatione specierum bigamiæ.

Ad illud verò de eo, qui ducit fornicariam, quidam respondent, ideo bigamum esse, qui ducit fornicariam, licet bigamus non sit fornicarius, qui ducit virginem, quia Episcopus repræsentat Ecclesiam, sponsa Episcopi repræsentat Christum; constat autem, in ipsa Ecclesia non deesse aliquas corruptelas, in Christo verò nihil eiusmodi esse posse. **HÆC** solutio pugnat cum Apostolo Paulo, qui ad Epistolam comparat virum cum Christo, & spōsam cum Ecclesia: *Vir* inquit, *diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam.* In quibus est Dominicus à Soto in 4. sent. dist. 27. q. 3. artic. 1. dicunt, causam illius discriminis esse, quia Matrimonium sumit speciem suam à termino ad quem, ac proinde Matrimonium viri tunc solùm vitiatur, cùm in vxore est vitium illa enim est terminus ad quem, respectu viri, & cōtrario modo vitium est in viro, tunc vitiatur Matrimonium respectu vxoris, & si illa esset capax ordinationis, fieret irregularis, si nuberet viro fornicario.

**AT** hæc solutio acutior, quàm verior esse videtur, nam si ex termino ad quem, tantum nasceretur bigamia, certè qui duceret secundam vxorem virginem, non esset bigamus, nam in eiusmodi Matrimonio nullum est vitium in termino ad quem, sed totum est in termino à quo, id est, in ipso viro, qui bis Matrimonium contrahit: atqui nullum est magis propria bigamia, quàm ducere duas vxores, licet virgines. Sicut igitur æquè oritur bigamia, si viduus ducat virginem, & si viduus ducat viduum, ut patet, ita quoque bigamia esset, cùm vir for-

fornicarius ducit virginem, si bigamia esset, cum vir castus ducit fornicariam.

RESPONDEO igitur, prohibitum esse ne ordinetur, qui ducit fornicariam, non quod ea sit bigamia, neq; ob illud Apostoli præceptum: *Vnius uxoris vir*, sed quia sic placuit Ecclesie ob dignitatem sacerdotij; nam indignum est tam graui persona Matrimonium cum fornicaria, non autem indignum est viro fornicario, si vxorem virginem ducat; esse autem huius rei causam, non bigamiam, sed dignitatem sacerdotij, ex eo probari potest, quod canon. 18. Apostolorum, vbi prohibetur sacerdos fieri qui duxit fornicariam, prohibetur etiam is fieri sacerdos, qui duxit ancillam, vel comædiarum actricem, vbi nullum locum habet bigamia, sed sola infamia. Atque hæc de cœlibatu dicta sufficiant.

Sequeretur nunc disputationes, quinta & sexta videlicet; quinta de horis canonicis, & sexta de ritu tonsuræ, siue raturæ Clericorum; sed quia de horis canonicis in disputatione de oratione commodius tractari poterit, de ritu verò tonsuræ differemus in sequenti libro, qui erit de Monachis, nunc ad septimam disputationem nos conferemus.

## CAPVT XXV.

## De Decimis.

**S**EPTIMA quæstio erat de temporalibus bonis Clericorum; Sunt autem tria bonorum genera, de quibus ambigi potest, an Clericis conueniât. PRIMO loco, sunt decimæ, quæ debentur Clericis ex iustitia. SECUNDO, sunt agri, domus, ac possessiones ceteræ, quas dono Laicorum, maximè Principum, Ecclesia possidet. TERTIO, sunt bona, quæ habentur titulo planè seculari, vt hæreditate paterna, emptione, venditione, &c. de singulis ordine dicemus. Ac primùm, de decimis quatuor inuenio errores.

PRIMVS error fuit Ioannis Wiclefi, qui, vt refert VVald. lib. 2. doct. fidei, art. 3. cap. 64. & 65. docebat decimas esse puras eleemosynas, & nullo iure deberi Sacerdotibus; Eundem errorem sequuntur hodie Anabaptistæ, Trinitarij: Nam in libello,